

PRÆFATIO D. BEAUGENDRE.

Epistolas et alia venerabilis Hildeberti opera, quotquot e variis mss. eruere, quotquot e passim editis et quaquaversus sparsis colligere potuimus, in unum corpus redacta, luci publicæ daturi, operæ pretium duximus lectori benevolo consilii nostri, et qualiscunque hujus opellæ nostræ rationem reddere. In primis autem necessarium censuimus paucis præmittere, plura de Hildeberto in ejus Vita dicturi, quis et quantus fuerit hic præsul, ut inde pateat quem fructum sperare liceat ex ejus lucubrationibus, quarum non minima pars, magno utique rei litterariæ dispendio, excidit.

Mediocribus quidem, ut antiqua ferunt Cenomanensium episcoporum Gesta (12), sed honestis parentibus ortus, a pueritia sub Berengario magistro humanioribus insistens litteris, deinceps sub sancto Bugone Cluniacensi abbate sacris, simul et pietati sub monastico schemate dedisse operam fertur. Quibus apprime instructus, et tandem eloquentiæ sacræ fama usque procul positos celebris, ab Hoclo piissimo, æque ac prudentissimo Cenomanorum antistite, ad scoliarchæ primum, deinde ad archidiaconi munus evocatus, ipsius demum e vita decedentis successor cleri et populi calculis electus est. Quod in fastigium non nisi virtutum et doctrinæ gradibus euectus, et sanctitatis merito, firmo quasi gratiæ fundamento, stabilitus, ita præclare se gessit, ut cum non solum ut *totius reverentiæ virum* suspexerit ille, sui quondam sæculi miraculum, et oraculum sanctus Bernardus, sed etiam ut *magnam Ecclesiæ columnam* non dubitaverit appellare. Nec immerito sane, quippe quem non virtutibus solum pietatem Christianam et sacerdotalem sanctitatem spectantibus et spirantibus celebrem noverat abbas sanctissimus, sed quem immunitatum Ecclesiæ, tum exemplis, tum scriptis fortissimum acceperat vindicem, et quem nec facultatum omnium jactura, nec repetitis exiliis, nec iniquissimis incarcerationibus, nec vel illatis ab optimatibus quibuslibet corporis vexationibus, a sacro justitiæ proposito dimovendum expertæ fuerant Ecclesia Cenomanensis et metropolis Turonica, amplexa fuerat in sui summi pontificis Paschalis II ab Henrico IV imperatore cum suo clero proditorie detenti defensione, strenuissimum perturbata Roma, et sibi applaudens tota propemodum mirata fuerat Ecclesia.

Hinc sane illa, quam apud bonos et litteratos omnes sive variis quibuslibet scriptis, sive sacris concionibus, sive virtutum exemplis, sibi conciliaverat doctrinæ, fortitudinis, eximiaeque sanctitatis existimatio; et inde etiam plurium eruditorum vota, qui pergratum sibi fore sæpe testati sunt, si forte e (12) Mabill., *Analect.* tom. III.

A bibliothecarum celebriorum scriniis erui contingeret Hildeberti varia, ut ipse vocat, opuscula, quorum passim in suis epistolis sæpe meminit. Nec vero parum ad illa perquirenda nos impulere quorundam doctiorum virorum conatus, qui quasi assignandi et duces viam nobis ad id operis parare et aperire visi sunt. Id autem apud nos præsertim effecit tot bonarum litterarum monumentis clarissimus Stephanus Baluzius, qui in Præfatione ad Lupi Servati Ferrariensis abbatis opera, quæ anno 1684 edidit, Hildeberti opera se aliquando sponderat etiam editurum. Quod quam egregie et feliciter præstitisset vir perspicacissimus, ut nemo ierit inficias, nisi gravioris momenti studiis intentus, hanc alteri provinciam reliquisset. Sic autem illi non displicuit consilium hoc nostrum, ut etiam se, si per otium licuisset, manum nobis porrecturum visse professus sit.

Animos nobis addidisse non diffitebimur R. P. Jacobum Homeyem, Bituricensis, ut aiunt, communitatis Augustinianum, qui in eridito suo Patrum Supplemento an. 1684 typis Parisiis edito, quædam opuscula tam prosa quam metro a se detecta in lucem protulit; quæ quidem e pluribus mss. quam quos ipsi videre forte licuerat, omnino Hildeberti genuina certo certius comprobavimus. Epistolas autem venerabilis Hildeberti, eas solum quas in editis Patrum bibliothecis legerat, notis illustravit.

Quin autem hanc in nos assumeremus provinciam, non tam octogenariæ jam tunc imminentis ætatis, nunc Deo dante transactæ, incommoda, quam ipsum rei tantæ pondus prohibebat. Verum Dei omnipotentis auxilio suffulti, ejus gloriæ, saltem quod fugientis et visus et vitæ nobis supererat, litare tenebamur et lætabamur, simul et litteratorum amicorum subsidia et indulgentia confisi, opus hoc pro exiguo extra exercitia regularia concessa nobis otio, et pro viribus in diem deficientibus arduum aggressi sumus. Et certe nostrum hunc audaciorem forte conatum, Deus Opt. Max. supra spem adjuvit.

Dum enim ex epistolarum Hildeberti in Bibliotheca Patrum editarum, repetita lectione non minorem pietatis quam innoxie oblectationis sensum perciperemus, illasque nostra solitudinis levandæ gratia, quasi piis omnibus utriusque sexus hominibus quandoque forte profuturas lingua vernacula donaremus, quod et Deo dante, pro modulo nostro periecimus, et ipso favente forte proferemus, in enodandis quæ nobis occurrerunt difficultatibus, quandoque hæreremus, ad mss. codices, quasi ad originalia recurrere non negleximus, imo id sæpius

necessarium experti sumus. Iis autem evolvendis A dum insudamus, in plures incidimus epistolas, quam quæ hæcenus typis mandata fuerant in tribus editionibus Bibliothecæ Patrum, et vel etiam in ultima Lugdunensi, in qua mirum omiseras fuisse illas, quæ cum in Spicilegio Dacheriano, tum alibi jam publicatae fuerant.

Cumque Hildebertus ipse variis epistolarum locis varia se testetur edidisse opuscula, non inutile, imo reipublicæ litterariæ profuturum censuimus, si illa qua maxima possemus diligentia perquireremus, et quæ forte occurrerent publicæ luci redderemus, qua, ut ex ipsorum mss. multitudine liquet, olim potita fuerant. Sic nimirum Hildebertus in epist. 3 lib. III novi ordinis, ad Clarembaldum, testatur se scripsisse « Historiam miraculorum Exoniensis ecclesiæ, » quam innata sibi modestia ejus correctionis subjicit, et quam recuperare, quacunque adhibita diligentia, nusquam potuimus. Sic in epistola 15 ejusdem libri, ad Reginoldum Beati Augustini monachum, scribit « se libenter amplecti quod aliquas positiones ingeniosi sui, » ut ait, « filias, aut suorum particulas versus in suo inseruerit operi. » Sic denique, ne nimii simus, epistola 30 lib. III, ad Willelmum Wincestresem episcopum, ait sibi pergratum fuisse quod « sua ad eum mitti postularet opuscula. »

His igitur et aliis quasi propriis Hildeberti vocibus moniti et excitati, ad inquirendas et exquirendas ex insigniorum bibliothecarum forulis ejus lucubrationes nos accinximus, et amicorum bonis litteris patrocinantium consilio ducti, et eorum auxilio confisi, jam olim editas ad tredecim et amplius mss. codicum optimæ notæ et fere cœvorum fidem, qua potuimus accuratione recensuimus, et si qua in illis menda reperiremus, ad eorum collationem emendavimus, variantes lectiones observavimus, et nonnullas in illis recenter deprehensas, necdum editas nunc primum in lucem protulimus.

Ad hoc binos a locupletissima et vere regia Bibliotheca nobis perhumaniter commodarunt eruditissimi sub illustrissimo doctissimoque abbate Tellerio summo illius præfecto DD. Clemens et Boyvius ejus administri. Sex alios nobis urbane admodum præbuit ex instructissima omni mss. genere bibliotheca Colbertina, doctissimus D. Duchesne, sedulus eorum custos, qui deinde pro sua humanitate plures alios pro metricis Hildeberti opusculis ministravit. Duos etiam e Sancti Victoris celeberrima bibliotheca præbuit, annuente pro hæreditaria sua ad juvandos litteratos omnes a clarissimo parente suscepta propensione, D. de Wion d'Herouval, regalis illius monasterii canonico regulari, bibliothecario et doctore Sorbonico, eruditus ejus administer D. Perruquier. Alterum e Bibliotheca S. Audeni Rothomagensis nostræ congregationis S. Mauri concessit R. P. D. Dionysius Sammarthanus, prior ejusdem monasterii, et præclari ex editione nova

sancti Gregorii et aliis lucubrationibus inter litteratos nominis. Sed ex omnibus mss. quos nobis videre licitum, fuit, quippe fere omnes aut Hildeberto ipsi cœvi, aut saltem ad ipsius tempora propius accedebant, vi nullum melioris notæ et amplioris nacti sumus eo quem amicissimus nobis et bonarum litterarum amantissimus R. P. D. Gabriel Pouget, prior monasterii Sancti Taurini Ebroicensis, nostræ congregationis ad nos transmittere curavit. Qui nimirum mss. codex unus erat ex iis quibus inter alios bene multos tum manu exaratos, tum excusos, erat olim instructa exquisitissima bibliotheca domestica eminentissimi cardinalis Perronii, tunc Ebroicensis episcopi et abbatis Sancti Taurini, deinde Senonensis archiepiscopi; quam quidem bibliothecam, ne post ejus obitum periret, et, ut sæpe fit, ad damnum publicam distraheretur, totam pretio, et certe non exiguo, ab hæredibus sibi comparaverant primi ejus monasterii monachi congregationis nostræ, statim ut ad illius reformationem eo fuerunt admissi. Quod ideo notandum duximus, ut illi ms. eo major fides habeatur, quo illum prodiasse constat musæo doctissimi simul et strenuissimi fidei catholicæ defensoris, qualem eminentissimum cardinalem Perronium adeo frequenti suorum aut debellatione, aut conversione, experti sunt heterodoxi, et qualem ad Dei gloriam et Ecclesiæ ædificationem, repetitis toties ejus victoriis, gloriosi sunt orthodoxi. Vix quippe in aliis mss. undecunque nobis obvenerint, quidquam reperitur quod in hoc Ebroicensi desit, multa vero continet quæ desiderantur in aliis.

Duos insuper optimæ notæ nobis e musæo suo commodavit clariss. in suprema curia patronus D. Logé, quos accepit ab alio ejusdem curiæ doctissimo patrono D. Loyauté, qui epistolas Hildeberti evangelandas suscepit, et jam inchoaverat, cujus etiam eruditas notas in decem et octo ejus epist. a præfato D. Logé acceptas infra subjiciemus, et quas procul dubio ad umbilicum perduxisset, nisi præmatura morte decessisset.

Cæterum ex epistolis Hildeberti a nobis ex præfato mss. Ebroicensi recenter, ut putabamus, detectis, nostrum claræ et charæ litteralis et bonis omnibus memoriæ H. P. D. Lucam Dacherium decem numero deprehendimus inseruisse Spicilegii sui tom. IV, quarum tamen altera, quæ sic incipit: *Successisse*, incuria typographi bis ibi reposita reperitur; altera vero, quæ sic incipit: *Jocunditas mihi*, in editionibus omnibus excusa cernitur in fine scilicet epistolæ undecimæ lib. I, al. 61, ad Carnotensem episcopum, sicque octo tantum non editas ibi divulgavit, quas e ms. codice supra laudatus D. Dacherius testatur sibi indicatas et transmissas a clarissimo simul et doctissimo D. Lanfranco Bigot, litteratis omnibus eruditione et humanitate, dum viveret, spectabili. Verum cum religioni duceret vir venerandæ antiquitatis observantissimus, vel minimum aspiciem ab autographo immutare, in quo tamen

amanuensis oscitantia errores in scribendo permulti, et frequentes hiatus irrepserunt, quibus sensus et intelligentia aut offuscabatur, aut certe multum confundebatur, menda illa ad collationem castigatoris ms. Ebroicensis emendare curavimus. Quod, verbi gratia, faciendum præcipue duximus in epistola 22 lib. II, apologetica pro summo pontifice Paschali II, in qua pene tot lacunæ in Dacheriano Spicilegio quot lineæ, sensus plerumque truncatus vel intricatus, quibus quo meliori modo potuimus, collatione cum præfato ms. Ebroicensi facta, lucem et nitorem reddere conati sumus.

Et quidem nobis utcumque gratulabamur quod præter memoratas octo epistolas a R. P. Dacherio editas, et in ms. Ebroicensi repertas, quatuordecim alias ibidem invenissemus; sed cum diligentius ejus Spicilegium excuteremus, ipsasmet sagacissimi viri diligentiam non effugisse gavisus sumus, quas scilicet velut in appendicem ad ultimum tomum quasi postliminio rejecit eratas utique eo unico ms. Fulcardimontis, et quas omnes cum ms. Ebroicensi, ubi solum eas inveneramus, conferre potuisse nobis fuit perjucondum. Sic esse nusquam editas, editis in Bibliothecis Patrum superaddimus cum aliis novem, quas cum jam prædictarum absoluta esset impressio, e quorundam eruditorum museis, et nostrorum monasteriorum tabulariis recuperatas, in appendicem remittere compulsi sumus.

Ita cum in omnibus editionibus Bibliothecæ Patrum, et etiam in ultima Lugdunensi, octoginta tantum et tres numeratæ fuerint, nos, triginta et novem additis, centum viginti et unam publici juris facimus, si tamen inter illas numerare libeat epistolam 15 lib. II, quam in nullo e duodecim mss. quibus nisi annus, reperimus, et quam merum esse epistolæ sancti Hieronymi ad Demetriadem fragmentum deprehendimus, quod tres Bibliothecæ Patrum editores unus post alium ut Hildebertinam posuerant in editionibus suis septuagesimam nonam. Cæteras autem Hildeberti epistolas ad fidem tredecim mss. optimæ notæ codicum, non sine tædioso labore recensuimus, ipsarum varias lectiones observavimus, argumenta plura reteximus, quo tempore dictatæ, quibusve personis directæ fuerint, quantum ex illorum temporum historia conjicere licuit, adnotavimus, et notis ubi necesse visum est, utinam et feliciter, instruximus.

Non dubitamus autem quin longe plures Hildeberti epistolæ diligentis colligentiam exciderint. Id quasi certum faciunt longa plurium quandoque annorum intervalia, quibus nulla scimus ipsum epistolam scripsisse, quæ tamen probabile non est præsulem tot per regiones sanctitatis et prudentiæ, ut ait Baronius, fama celebrem, transegisse, quin, prout se offerebat occasio, et sicut exigere videbantur varia quibus ad ultimum usque vitæ periculum implicatus est negotia, ad varios cujuscunque status homines

A scripserit epistolas. Illorum erit qui nobis sagaciores, aut fortunatiores, eas, aut partem earum quamlibet forte detexerint, communi rei litterariæ bono non solum non invidere, sed ad fidelium ædificationem pro Christiana charitate et honestate promerere.

Interim quod ad nos pertinet, cum ingenui sit pudoris, inquit Plinius, fateri per quem profeceris, non distitebimur commodo nobis fuisse laudati R. P. Jacobi Homeyji Supplementum Patrum, in quo nonnulla Hildeberti opera a se detecta, tam prosa quam metro, inseruit. Horum autem præcipuum est liber *De querimonia*, seu *De conflictu carnis et spiritus*, quem e solo ms. Sancti Victoris Parisiensis, n. 272, aduxerat; et quem nos, collatione facta cum ms. Regio n. 4103, et Ebroicensi, n. 19, quorum probabiliter præfatus Homeyjius copiam non habuerat, quemque hi soli ex mss. quos vidimus habent, et ut Hildeberti genuinum omnino fatum, eumque emundatiorem damus.

Porro in prædicto Patrum Supplemento ad epistolas, notas adjecit supra laudatus Homeyjius certe non indoctas; verum licet aliquam nobis inde lucem affulsisse fateamur, illis tamen non ita tenaciter adhæsimus, quin, cum ratio postulare visa est, ab illis non aliquando recesserimus.

Ut autem hujus nostræ collectionis studioso lectori conspectum, ut par est, exhibeamus, quid ad illam concinnaudam præstiterimus, et quo ordine, æquum est ut enarremus.

C Et quidem nostri non fuit instituti ut ea sola ederemus Hildeberti opuscula, quæ recenter detecta e variis manuscriptis eruiamus, sed ut omnia omnino tam olim edita, quam nondum edita, utpote nuper reperta, in unum corpus collecta, publici juris faceremus; et edita quidem ad fidem mss. codicum recensita, inedita vero ex ipsius mss. quos inter se contulimus educta, et sic omnia quanta potuimus diligentia repurgatiora proferimus, et utraque partim soluta, partim stricta oratione ab Hildeberto composita. Quæ autem soluta, ut præstantiora, primum locum, quæ stricta secundum obtinebunt.

D Porro inter ea quæ soluta oratione sunt prolata, exstant præcipue ejus epistolæ, ob insignem, ut de his sanctus Bernardus, *eruditionem, sermonem suavem, orationem luculentam, gratum laudabileque compendium* (13), a viris doctis summis celebratæ.

Subsequuntur deinde sermones Hildeberti, numero centum et quadraginta, cum antea tres tantum in variis editionibus Bibliothecæ Patrum, et vel etiam in ultima Lugdunensi, reperirentur; omnes autem, ut ex ipsa lectione patet, theologica et orthodoxa doctrina referti, sacre Scripturæ verbis et sensibus sinceram pietatem spirantibus et inspirantibus, et antiquos Ecclesiæ ritus edocentibus, insignes, quos ex optimis mss. eruere, discutere et

exscribere nobis non exiguo, quamvis gratissimo, A labori fuit, quique cum epistolis amplio- rem et præstantiorem Hildeberti operum partem constituunt.

His deinde subtexuimus varia ejus opuscula prosa edita, quorum ad caput exstat *Vita S. Radegundis reginæ* ab Hildeberto composita, quam nobis e schedis suis amice commodavit noster R. P. Mabilionius, et cujus Præfationem dederat eo consilio *Analectorum* tom. III, ut si quando occasio sese offerret, integram illam proferret, et qua tandem ratione hujus nostræ editionis oblata, hanc curam, dum gravioribus occuparetur, in nos deposuit. Hæc autem nusquam hucusque edita.

Huic succedit *Vita sancti Hugonis abbatis Cluniacensis*, quam, suadente, seu, ut ipse loquitur Hildebertus, jubente Pontio, Sancti Hugonis in dignitate (non in sanctitate) successore, concinnaverat. At hæc edita in Bibliotheca Cluniacensi, quæ etiam apud Surium legitur 29 Aprilis, in editione Coloniensi anno 1618.

Accedit huic liber *De quærimonia*, sive *De conflictu carnis et spiritus*, de quo supra, partim proæa, partim metro, ad imitationem Boetianæ *Consolationis philosophiæ*, quem quidem tractatum illum forte eundem fore suspicarer, quem doctissime Lupinus sæculo XII, p. II *ecclesiasticæ Historiæ*, sub titulo *Discursus inter carnem et spiritum*, notavit inter opera dubia Hugonis du Foliet, seu probabilis du Fouloy, non quidem monachi Corbeiensis, ut ipse opinatus est, sed canonici regularis, ut nobis suggestit, et erudite e ms. Corbeiensi ipsius Hugonis operum, probavit noster D. Eligius le Doux, Theologiæ professor, qui rogatus a nobis ms. hunc exactissime revolvit, et in illo ne minimum quidem apicem hujus *Discursus* reperit.

Hunc autem tractatum excipit *Moralis philosophia*, seu *Tractatus de utili et honesto*, quatuor libris distinctus, nondum editus, quem eruimus e ms. Colbertino n. 2662, sexcentorum circiter annorum, et altero Victorino antiquiore, n. 759, qui non nisi e variis sententiis Senecæ, Ciceronis, Taciti, et aliorum veteris scholæ philosophorum et scriptorum adornatus est. Cum hoc vero tantam affinitatem habet, etiam in verbis, poema Hildeberti

De quatuor virtutibus vitæ honestæ, quod e ms. Colbertino ejusdem circiter ætatis, n. 6327, eruimus, D ut præcedenti subjungendum duxerimus.

Sequitur deinde *Tractatus theologicus*, quem medium inter alia indubitata Hildeberti opera reperimus in ms. monasterii Beatæ Mariæ de Lyra, ordinis et congregationis nostræ S. Mauri, sexcentorum circiter annorum, et sic fere Hildeberto coævum. Ex quo non omnino temere conjici potest scholasticos theologos, ut ad ipsum infra positum fusius explicabimus, utpote Hildeberto posteriores, ipsumque Robertum Pullum et Petrum Lombardum, et argumentum, et methodum doctrinæ suæ desumpsisse.

Adjecimus huic brevem quidem, sed egregium et doctissimum tractatum *De sacramento altaris*, qui in ms. Colbertino, n. 2662, tractatui *De honesto et utili* nullo intermedio subiciebatur, ubi sacræ eucharistiæ doctrina sic legitur, ut hoc solo invicte probari posset, quantum a Berengarii erroribus Hildebertus fuerit alienus, cui si jungantur subsequens et moralis *Expositio vestium sacrarum et cæremoniarum missæ*, et liber metricus *De mysterio missæ*, et alter *De sacra eucharistia*, mirum non erit si vetus auctor Gestorum episcoporum Cenomanensium asseruerit quod *cum ad altare sacrosancta mysteria celebraturus accederet Hildebertus, totus compungebatur in lacrymis, sicque in humilitatis spiritu et in animo contrito salutarem hostiam divinis conspectibus offerebat*. Quem certe devotionis sensum et affectum nulli datur percipere, nisi ei qui firmissima fide et sincera intimaque persuasione credit quod de hoc sacro mysterio catholica credit et docet Ecclesia. Abs re vero non erit ut quid nos ad investigandos ejus sermones impulerit, apertiamus.

Et certe mirari satis non poteramus tres tantum hujus, suo tempore celeberrimi præaulis et concionatoris, evulgatos fuisse sermones, quem Ordericus Vitalis ejus fere suppar, *ecclesiasticæ Historiæ* lib. X, p. 770, *bonis semper studiis in docendo et in faciendo testatur instituisse*; et quem præterea *Gesta Cenomanensium episcoporum*, ex *Analect. D. Mabilionii*, tom. III, velut *supientem pigmentarium representant, mellifluum ex Scripturæ sacrae floribus potum conficientem, et eum suis auditoribus, aliquando scriptis, aliquando vivis vocibus sedulo propinantem, et cujus verba, cum in ecclesia loqueretur, populus quidem devotissime audiebat, sed studiosius clerici, quoniam latina lingua expeditius quodammodo et vivacius loquebatur*. Hinc sane et magnificus ille titulus, quo D. Bernardus Hildebertum decoravit, cum ad illum scribens epistolam, inter Bernardinas 121, sic illam ei nuncupat: *Magno sacerdoti et excelso in verbo gloriæ*, utpote disertissimo concionatori, qui non nisi omnino gloriose Dei verbum ad ejus honorem et fidelium ædificationem, disseminare consueverat.

Porro quod verbo Dei prædicando studiosissime semper institit Hildebertus, et ex impositis illi ecclesiasticis ante episcopatum officiis, et ex ipsa, ad quam assumptus est, episcopali dignitate, videtur esse manifestum. Et quidem ante episcopatum, quis credat eum ab Hoello sapientissimo præsule in Ecclesiæ suæ Cenomanensis scholiarcham, et deinde in archidiaconum evectum, nisi suadente fama, quam jam tum, cum Cluniaci ad pedes sancti Hugonis moraretur, pluribus et præclaris concionibus, sive ad monachos, sive ad populos, sibi conciliaverat? Siccine episcopus prudentiæ laude clarissimus, qualem *Gesta Cenomanensium episcoporum* Hoellum prædicant, scholis ecclesiæ suæ et clericorum suorum virum præfecisset, quem non comperisset ad

verbum Dei prædicandum valde idoneum? Siccine et ipse ad archidiaconatum cum eublimasset, quem, episcopalis utique sui ministerii primarium administrum, elinguem et mutum canem agnovisset, non valentem latrare? Siccine tandem, clerus et populus Cenomanensis illum unanimi consensu ad solium episcopale promovissent, nisi eum arte concionandi peritissimum, quod episcoporum præcipuum et essentielle munus est, usu longo experti fuissent? Multis tandem ex ejus epistolarum et aliorum opusculorum locis id ipsum certissime potest evinci; sed id indubitatum efficit ipsemet in epigrammate ad Mathildem, Anglorum reginam, quam sic alloquitur:

*Qui solet ante homines Cicerone disertior esse,
Facundus minus est, cum venit ante deos.
Sic ego cum medicæ plebi loquar ore disertio,
In vultu potui dicere plura tuo.
Majestate tua stupui, totamque vaganti
Percurrens oculo, etc.*

Unde patet non solum ad plebem promiscuam Hildebertum fuisse concionari solitum, sed eum etiam Christi nomen coram regibus et principibus terræ facunde et feliciter portasse. Qui quidem illum eo libentius audierint, quo mysticis allegoriis, sacræ Scripturæ testimoniis optime fultis et elucidatis, moralibus eos et Christianis præceptis, ea qua deest episcoporum eruditione et libertate, nunquam destiterit imbueri.

Quamvis igitur quidam e veris doctis qui opera Hildeberti ut præclara, alioquin et publica luce dignissima censuere, non admodum ejus Sermones laudaverint, id probabiliter ex eo contingit, quod non nisi paucissimos illis videre licuerat; tres scilicet illos tantummodo qui in Bibliothecis Patrum hucusque sunt editi. Non defuere tamen ex eruditis alii, qui sermones ejus etiam editos non contemnendos putavere; quippe quos pios, et e sacræ Scripturæ textibus totos fere contextos, et vigilantissimi pastoris charitatem et zelum spirantes, deprehenderunt. Inde est quod æquiori forte judicio, sermonum Hildeberti jactura permoti, quæque forte felicitate recuperari possent, evulgandos optavere. Quorum volis obsecundantes, dum aliis ejus opusculis hinc et inde detegendis insudavimus, sermonum ejus curam minime negleximus; ac tandem non modico labore, sed majori, ut putavimus, fidelium commodo. plures ad cæctum scilicet et quadraginta, a prænotatis mss. eruimus.

Et quidem præter tres sermones editos in Bibliothecis Patrum, quatuor alios in ms. Ebroicensi repereramus, quorum unum cum invenissemus in Victoriano, n. 272, ad mutuam collationem castigavimus.

Alterum etiam e ms. Sancti Remigii Remensis misit ad nos perhumaniter R. P. D. Thomas Blampin, illius archimonasterii prior, nova S. Augustini editione, cujus fuit auctor præcipuus, invita innata illi modestia celebris. Sic quinque sermonibus istis

A repertis, nos desiderium inquirendi cæteros invasit; quod nobis cessit certe non infeliciter. Siquidem in ms. codice nostræ ipsius bibliothecæ San-Germanensis, qui primus nobis occurrit, plures invenimus, quos Hildebertinos esse inde collegimus, quod inter illos unum deprehendimus, illum scilicet qui incipit: *Spiritu sancto Isaias edoctus*, quem tres mss., noster scilicet ille San Germanensis n. 381, Ebroicensis, n. 19, et Victorianus n. 272, similiter Hildeberto tribuunt.

B Alios deinde reperimus in ms. altero Victorino, n. 468, in quo primus occurrit sermo qui incipit: *Dicite pusillamines*, quem tres Bibliothecæ Patrum editiones, Parisiensis scilicet, Coloniensis, et nova Lugdunensis, ascribunt Hildeberto, cum hoc tamen discrimine, quod in hoc ms. quarta fere parte exstat edito prolixior, et emendatior. Hoc ergo sermone, quasi legitima lessera præeunte, cæteros discussimus, quos ad styli similitudinem et argumentorum rationem, quantum *ingenioli nostri*, ut Hildeberti de se ipso loquentis verbis utamur, penetrare potuit acumen, Hildebertinos esse judicavimus.

C Cum itaque nobis hæc perquisitio non omnino infauste cessisset, ad alios explorandos nos contulimus, et vero non incassum: siquidem e Bibliotheca Sancti Albini Andegavensis nostræ congregationis R. P. D. Hervæus Menard, ejusdem monasterii prior, ferventissimus bonarum litterarum amator, misit ad nos ms. codicem optimæ notæ, et ipsi Hildeberto fere cœvum, in quo plures numeravimus, quos legitimos ejus fetus ad styli collationem esse non dubitavimus.

D Advertendum autem in eorum serie nonnullos inveniri, qui etiam inter Petri Comestoris sermones irrepererunt: sed e plurium eruditorum sententia, probabiliter judicavimus sermones Hildeberti sermonibus Comestoris a variis collectoribus postliminio fuisse insertos, quam Comestoris ipsius Hildebertinis; siquidem vix infantia sine Comestor excesserat, cum obiit Hildebertus. Hic enim, ut probabilior fert opinio, anno 1134 cessit e vita, Comestor vero, ut notavere doctissimus Dupinius et alii viri eruditi, non nisi anno 1198. Probabiliter ergo videtur sermones Hildeberti, quibus tunc magnum sibi nomen comparaverat, a quibusdam ex ejus ore collectos et descriptos, Comestorianis fuisse permistos, quam Comestoriani Hildebertinis.

Quod etiam opinandum est de sermonibus Petri Blesensis, inter quos aliqui reperiuntur qui Comestori tribuuntur, quamvis vere sint Hildebertini. Cum enim Petrus Blesensis obierit tantum circa annum 1200, sicque vix e crepundiis exierit cum Hildebertus e vivis excessit, anno scilicet, ut supra notavimus, 1134, æquius videtur ut plures e sermonibus Petri Blesensis sermonibus Hildeberti fuisse insertos opinemur, quam Hildebertinos Blesensibus.

Deinde plerique sermones et inter Comestorianos, et inter Blesenses reperiuntur, quorum e lectione liquet concionatorem episcopum fuisse. Hoc autem

nec Comestori, nec Blesensi potest convenire, optime autem Hildeberto, qui se hujus dignitatis pondere oneratum innotata sibi modestia ingemit ser. 130, his verbis : « Videte, fratres, talem fuisse voluntatem Domini nostri, ut me, licet indignum peccatorem, non per merita mea, sed per misericordiam suam, ad regendam Ecclesiam istam constituerit, et mihi custodiam vestram, et aliorum ad hanc sedem pertinentium commendaverit. Debet enim episcopus, vel archiepiscopus populos sibi commissos attente custodire, » etc. Hac autem pontificali jurisdictione et auctoritate potitus, sermones habuit 88, 89, et duodecim sequentes, modo in synodis ad secundos pastores, et parochiarum rectores, sive curiones, modo in ordinatione clericorum quos ordinatus erat ; quos quidem proferre non decebat, nisi episcopum, illos ex auctoritate pontificali et ex officii sui debito disserentem ; quod nec Petro Comestori, nec Petro Blesensi competere nemo est qui non consentiat.

His igitur ducti rationibus, sermones e ms. Sancti Albini Andegavensis eo potiori jure cum cæteris edendos duximus, quo et ex styli et sensuum conformitate, cum aliis ejus operibus collatos, genuinos Hildeberti fetus esse quasi indubitanter consueimus.

Et hæc quidem de operibus quæ prosa scripsit Hildebertus, oportuit exponere ; nunc de metricis quæ ipse cecinit præfandum aliquid nobis incumbit.

Mirabitur at forte quispiam virum tot tantisque negotiis dislentum, qualem nobis exhibent Hildebertum ii qui ejus acta scripsere, tot poemata, tot epigrammata, tot cujuelibet generis cecinisse carmina, ut ad decem aut amplius millium versuum numerum excreverint. Verum desinet admiratio, si ejus ingenii ab infantia litteris humanioribus diligenter excolti, ratio habeatur ; si quantum a juvenilibus annis omnem semper horruerit otiositatem ; si tandem quantum otium illi vel invito protulerint, vel a Cenomanensibus, ut ait, consulibus, id est primariis urbis ædilibus, illatæ vexationes et exsilia invecata, vel ab Anglorum regibus, sive a Rotroci comite iteratæ, et per annos plurimos productæ, injusto licet, incarcerationes. Primos siquidem ejus annos totos ita bonis studiis impensos testantur expresse Gesta Cenomanensium episcoporum, « ut inter omnes regionis illius clericos litterarum studiis præcipuus haberetur, ut qui a pueritia sub litterarum studiis sedulus institisset et cujus animus bonis artibus eruditus, otiosus esse non posset ; et cujus tandem scripta, tam prosa quam versibus, luculentissime edita, per diversa loca celeberrime divulgata fuerunt, et cujus fama longe lateque usque ad extremas orbis partes excreverat. » Idem asserit Ordericus Vitalis, *ecclesiasticæ Historiæ* lib. x, pag. 770, his verbis : *Hic sacer heros* (Hildebertus) « tam divinarum quam sæcularium conditione litterarum studiosus, temporibus nostris incomparabilis versificator floruit, et multa carmina præcis poematibus æqualia vel eminentia condidit, quæ fervidus calor philocephorum subtiliter rimari appetit, ac super aurum et topazion

consciscere diligenter appetit. A Romanis cardinalibus, qui frequenter Gallias appetunt.... plurima Hildeberti carmina Romam transferuntur, quæ dicentium scholis et didascalis Quiritum admiranda censentur.

Hic quippe castigationibus musis excolendis, dum per adolescentiam Cluniaci ad pedes sancti Hugonis abbatis moraretur, se se libens exercuerat : sed illarum officium non nisi in seria et sacra argumenta plerumque impenderat, et ut credere par est, aut ad solitudinis solatium, aut ad incarcerationis lædium mitigandum, dum teneretur in vinculis, honestum hoc sibi solatii genus adhibuisse probabile videtur.

Ad hoc nimirum imitatus est præcipue pietatis, et celebrioris in Ecclesia nominis anlistites, quales in Ecclesia Græca fuere Amphilochius, Theodorus Studita, præsertim vero sanctus Gregorius Nazianzenus, et alii plures ; et in Latina Paulinus Nolanus, Sidonius Apollinarius Arvernus, Alcimus Avitus Viennensis, Theodulphus Aurelianensis, et alii eecenti, quos enumerare lædiosum esset, qui vel ipsam etiam sacram Scripturam commentariis metricis illustrare non dubitaverunt ; qui sacra dogmata, et ipsa evangelica præcepta versibus plebi Christianæ, ad memoriæ faciliorem usum, tradiderunt ; qui sanctorum acta et martyrum triumphos carmine celebrarunt.

Ilos æmulatus Hildebertus, plures sacros libros versibus reddidit ; diversa sacre Scripturæ loca metricè moralibus ad fidelium ædificationem expositionibus illustravit ; ipsa sacra Eucharistiæ mysteria pluribus in tractatibus oratione stricta exposuit, et plurium victorias martyrum et illustriorum beatorum virtutes cecinit.

Tantum abest autem ut id illi vitio vertendum fuerit, quia e contrario ab æquioribus sui sæculi iudicibus viris, immensis inde laudibus celebratus fuerit, quod, qua optime pollebat, poetam, ut aiunt, venam totam in sacros usus converteret.

Porro quod strictam syllabarum mensuram non semper ita scrupulose sectatus fuerit Hildebertus, ignoscendum illi sane non denegaverit lector æquus, qui magis sensuum pondus et sententiarum gravitatem, pio præsele dignam, quam syllabarum quantitatem, mero grammatico convenientem, attendere ; quippe qui trium illud sciret :

Grammaticæ leges plerumque Ecclesia spernit.
 Quanquam et strictam, imo et ævi nostri carminibus longe strictiorem in plerisque versibus et integris interdum poematibus. Hildebertus orationem omnino industrie protulerit. Quid enim strictius, quam in tantas includere versus angustias, prout illius ævi mos invaluerat, ut non solum quisque versus in eundem rythmum seu sonum desinat, sed ut in quolibet hemistichio, seu medietate versus, seu etiam in tertia cujusque versus parte idem semper verborum sonus redderetur ? Hoc tamen Hildebertus in plerisque poematibus, iisque prolixioribus, observavit exactissime ; in *Vita*, verbi gratia, *beatæ Mariæ*

Egyptiacæ incillium prope carminum, in poemate *De sancio Vincentio* quingentorum fere versuum, in *Panegyri Machabæorum*, et aliis plerisque. Cujus methodi quanta sit difficultas, vel peritiores artis poeticæ professores nostri non distentur, dum quanta ad id variæ latinitatis desideratur ubertas, quanta versandæ et reversandæ ad id phraseos industria, vel cum id ipsum propriis conatibus ipsi nitentur experiri, fatebuntur.

Absit igitur ut propter leviores quosdam quantitatis nævos deformem quis putet Hildeberti nostri musam. Absit ut illi sequioris ævi barbariem nostri politioris sæculi felicitas et facilitas vitio vertat. Fatebimur quidem illum nonnunquam, raro tamen, humilioribus usum, seu verificandi modis, seu loquendi formulis. Id nimirum in exponendis metro sacris Scriptoris, ad simpliciorum captum quandoque judicavit magis idoneum, ut quas hoc modo memoriæ facilius commendandas et tenacius retinendas arbitraretur, et sublimiores, quam quæ ad conciliandam debitam sibi reverentiam vanis poeticis aut eloquentiæ profanæ phaleris indigerent. Verum cum humaniora tractaret argumenta, cum, verbi gratia, regum ac procerum cujuscunque status encomia celebraret, cum moralia præcepta, sonori rythmi et numeri liber angustis enuntiaret, optime sciebat cathurnum erigere, nihilque et fabuloso illo Parnasso floridius prodire potuisse lector æquus fatebitur. Attendat ad hoc quæ *De operibus sex dierum*, quæ « De mundi ornatu, De Susanna, De regibus reginis, que Anglorum, De » suomet « exilio, De vera amicitia, De mathematico, » et aliis id genus cecinit, nihil nobilius, nihil ab Helicone suavius emanare potuisse mirabitur.

Quod autem hic de Hildeberto dicimus, et de Marboto Redonensi episcopo, cujus opuscula operibus Hildeberti subjungemus, putamus esse jure sentiendum, qui licet usui suo tempore recepto assuetus, rhythmos ut plurimum, et simili sono cadentes versus ediderit, cum tamen illi grave hoc jugum excutere licuit, non minus elegantes versus edidit, quam quos hujus ævi nostri poetæ politiores forte possent emittere. Unde et ipse quæ sub arcis adeo soni legibus juvenis scripserat, improbasse videtur, cum initio *Libri decem capitulorum* quem non nisi sexagenarius cavendum imprimis monet, ne

Neglecto pondere rerum.

Dulcisonos numeros, concinnaque verba sequamur,
Suadetque :

Ut rerum virtus, verborum lege subacta,

Servetur, verbisque canor sub rebus abundet.

Quod, inquit, jugi studio tunc affectare videbar ;

Sed mihi nunc melius suadet maturior ætas,

Quam decet ut facili contenta sit utilitate,

Utque supervacuum student vitare laborem.

Quod revera feliciter præstitit in libro supra laudato decem Capitulorum, in libro *De gemis*, lib. *De ornamentis verborum*, scr. *De solitudine*, et aliis epigrammatibus, in quibus nullam sonori illius

rythmi rationem habens, quæ tractat argumenta, sententiarum gravitate, elocutionis facilitate, variis et solidioris eloquentiæ figuris insigniter exornavit.

Quibus autem e fontibus tot ignota hucusque Hildeberti Marbodei carmina hauserimus, benevolo lectori aperire non morabimur. Ii vero sunt mss. codices, numero septemdecim, variis e locis educti, omnes peritorum judicio, Hildeberto vel coævi, vel fere coævi, quos nobis commodare dignati sunt viri clarissimi reipublicæ litterariæ bono nati; qui quidem codices non omnia quidem carmina omnes habere, sed modo hæc, modo illa, modo plures eadem nobis exhibuere. At omnes illi expertorum calculo optimæ notæ, et quibus sic integra fides sine scrupulo poterat adhiberi, ut licet unus tantum quædam haberet opuscula, illa tamen præ stylo et sensibus Hildebertina esse nequaquam dubitandum videretur; ubi vero plures codices eadem continebant, ea ad invicem diligenti collatione facta, repurgatiora, et emendatiora redderentur.

Et quidem e Regia bibliotheca ms. codicem, n. 413 nobis eadem urbanitate præbuerunt eruditissimi illius custodes DD. Clemens et Boyvinus, quæ duos pro epistolis recensendis nobis subministraverant. Quinque vero e bibliotheca Colbertina Cl. D. Duchesne, vigilantissimus ejus administer, scilicet mss. n. 1050, 1367, 3019, 6101, et 6327. Quædam nobis ope nostri D. Edmundi Martene, tot sacris collectionibus notissimi, e metropoleos Sancti Gatiani Turonensis optimo ms. quædam etiam et duobus Majoris Monasterii mss. prodierunt. Sed librum, qui *Floridus aspectus* inscribitur, et alia plura, quorum maxima pars alibi non inveniebatur, e musæo suo, mss. ad curiositatem instructissimo, perhumaniter largitus est clarissimus simul et doctissimus Turonensis medicus D. Jacobus du Poirier, vir juvenis litteratorum studiis semper paratissimus; id vero mediante dicto R. P. D. Edmundo Martene, qui quidquid a Turonibus ad nos transmisit, summa diligentia discussit, excussit, et varias lectiones adnotavit. Sed qui plura nobis Hildeberti carmina protulere, ii præcipue fecerunt ms. codex Sancti Taurini Ebroicensis, Peronius supra memoratus, et alter ms. codex monasterii Sancti Mariani Altissiodorensis, Præmonstratensis ordinis, quem nobis a R. P. priore monasterii illius nobis obtinuit doctissimus et R. P. D. Hubertus Maillard, prior Sancti Germani Altissiodorensis: in quo videlicet tria vel amplius millia carminum deteximus. in illo fere solo reperta, sicut et in Ebroicensi multa invenimus in nullo alio relata, eodem scilicet quo usi sumus ad epistolas et alia opuscula prosa edita. Ac nonnulla tandem expiscati sumus, sed paucæ e Gemeticensi ms. et altero Beccensi, cæteris quidem recentioribus, sed tamen utriusque annorum circiter quadringentorum, aut amplius.

Observandum autem hic primo ad calcem operum Philippi abbatis Bonæ Spei plura posita fuisse car-

mina, quæ e mss. et etiam editis, Hildebertina A fuisse probantur, verbi gratia *Passio sanctæ Agnetis*, qui in ms. Sancti Mariani Altiassiodorensis Hildeberto tribuitur, sicut illam ipsi tribuunt eruditissimi Rosveydus et post ipsum Barthius, *Adversariorum commentariorum lib. xxx.* Hujusmodi sunt versus *De destructione Romæ*, et *Responsio Romæ*, versus *De mala femina*, et *De incarnatione Verbi*; qui omnes in ms. Ebroicensi, in regis et aliis adscribuntur Hildeberto.

Observandum secundo Hildebertum ita orthodoxæ fidei semper tenacem fuisse, ut non solum hæreses suo tempore emergentes et eorum auctores tota animi contentione reprimere, et pontificali auctoritate e finibus suis studuerit eliminare, verum et illas quasi prædamnasse, quæ diu postea circa Christi gratiam exortæ sunt. Sic nimirum serm. 111 ait « gratiam nunquam deesse sperantibus in Deum, nec unquam gratiam auxiliatricem hominem, etsi quotidie cadentem, deserere. » Sic serm. 39, agens de justificatione hominis, dicit illam esse duplicem, alteram scilicet quæ facit justum, alteram quam facit justus. Prima fit per Deum infusione gratiæ, secunda per hominem, arbitrii cooperatione, quam asserit totam vere voluntariam. — Non enim, inquit, « Deo justificanti sumus instrumentum mortuum, sicut gladius militi, vel dolubrum fabro; sed in ea intervenit nostra voluntaria cooperatio. Sic denique dicit epist. 16 lib. 1: « Oisiosissimam esse hominibus gratiam Dei, et quasi in eorum juratam obsequium; » unde concludit Deum velle omnes homines bonos fieri, quoniam « vult omnes homines salvos fieri, quibus præparat gratiam cui initantur, distribuit instrumenta quæ suffragentur, offert præmia quibus excitentur. » Unde sane legitime potest elici Hildebertum opinatum revera fuisse sufficientia a Deo nulli homini ad salutem media denegari, cum expresse dicat serm. 31, utriusque etiam latroni *Christi mortem si voluissent fuisse profuturam.* Hæc et his similia passim et sæpius in Hildeberti variis lucubrationibus videre est; unde conjici merito potest quantum abfuerit a molestis illis et ab Ecclesia jure damnatis opinionibus, quæ tot turbas et dissidia centum abhinc annis excitaverunt.

Si quid ergo in operibus Hildeberti circa hæc paulo durius occurrerit de difficultate hominis ad bonum, absit ut inde illum credidisse putemus impossibilia unquam esse homini mandata Dei, vel gratiam illi deesse qua possibile sunt; sed illud accipiendum esse tantum de maxima illa ex peccato difficultate, quam se expertum fuisse ingemuit Apostolus ipse, dum ait (Rom. vii): *Velle mihi adjacet, perficere autem non invento.* Et: *Non enim, inquit, quid volo bonum hoc facio, sed quod nolo bonum hoc ago (ibid.).* Quæ quidem verba sancti Patres et interpretes orthodoxi nunquam de vera impossibilitate, sed de summa difficultate intellexerunt, quam ex prædominante ex peccato concupiscentia ad bene agendum quotidie experimur.

Observandum tertio nobis errorem in verbo excidisse in nota ad versus *De fide sanctæ Trinitatis*, dum illos diximus inter dubia reponendos; unde forte quis inferre posset cætera quæ sequuntur esse dubia Hildeberti opera; quod nullatenus intendimus, nec intendere debuimus, cum nihil certius sit librum *De exilio suo* esse verum ejus fetum, sicut et cætera omnia carmina, sive præcedentia, sive sequentia, quæ ex optimis mss. eruimus. Loco igitur verborum illorum, *inter dubia*, legendum est, *licet dubiam, eumque solam inter ea quæ damus indubitata Hildeberti carmina.*

His igitur omnibus mss. instructi, ad hanc novam operum Hildeberti sive editorum recensioem, sive longe plurium nusquam editorum evulgationem, nos accinximus; quod non nisi cum tædiosa animi, imo et corporis contentione potuimus efficere. Cum enim nihil fere aliud quam octoginta duas epistolas Hildeberti et librum metricum *De mysterio missæ* continenter excusum in Bibliotheca Patrum invenerimus, unde nefas fuisset illas extrahere, nobis non succurrit, ut sit in aliis editionibus adormandis, inde illas extrahendi facultas, nec exemplarium postea, si liberet, rescindendorum copia, quibus nostras observationes sive ad marginem, sive ad limbum, notare commode potuissemus. Sed omnia omnino et edita et inedita nobis solis, et nullius subsidio adjutis, exacte rescribenda incubuerunt, eicut et nova inedita longe plura, quæ e mss. expicati sumus; quod sane lector æquus judicabit non sine improbo labore et pertinaci diligentia nos potuisse perficere: quod tamen, Deo dante, ad honorem ejus et fidelium ædificationem, pro facultate nostra, ex integro, et utinam recte, peregitur.

Cæterum cum processu temporis, et jam excusis epistolis Hildeberti, clarissimum et eruditissimum virum D. Loyauté, celebrem in suprema parliamenti Parisiensi cura patronum, accepissemus olim in illustrandis Hildeberti Epistolis operam navare cœpisse, ipse in hoc labore, magno utique rei literariæ dispendio, ab annis circiter quinquaginta defuncti, amicissimum clarissimi D. Logé, alterum insignem in eadem curia patronum, et schedarum ejus depositarium, convenimus, obnixæque rogavimus, ut si quid ex illis quod ad publicam utilitatem conducere posset præ manibus haberet, nobis concedere dignaretur. Quod vir bonarum litterarum subsidio natus, pro humanitate sua libenter exhibuit; unde tres novas epistolas, sive diplomata nobis contigit eruere cum eruditis notis ad decem et octo Hildeberti epistolas, quæ præfatus D. Loyauté morte præventus non potuerat perficere, et aliis insuper notis in Vitam Hildeberti, ab antiquo Gestorum Cenomanensium episcoporum auctore conscriptam. Illas igitur tres epistolas nobis postliminio subministratas, cum aliis tribus nobis a clarissimo D. Baluzio concessis, et tribus denique quæ e Sancto Vincentii Cenomanensis et Ebronensis monasterii tabulariis nobis obtigerunt, in appendicem reservare

ratius doximus, quam illas studioso lectori subtrahere.

Non possumus autem cæterorum venerabilis Hildeberti opusculorum, de quibus et ipse sæpius in epistolis meminit, jacturam non deslere, verbi gratia *Historiæ miraculorum Exoniensis Ecclesiæ*, de qua epistola 3 lib. III, ad Clarembaldum, et plurimam aliorum, de quibus ipse passim loquitur. Nobis quidem non modica spes affulserat inveniendi quandoque *Statuta synodalia* ipsius Hildeberti pro diocesi Genomanensi, nec ulli lapidi movendo ad illa detegenda pepercimus, quorum aliqua fragmenta olim Joan. Bapt. Thiersius in suis citaverat opusculis, quo nobis persuasum erat ipsum vel autographum, vel saltem illorum transumptum in manibus habuisse, quod moriens suis reliquisset hæredibus; sed diligentissima perquisitione facta, incassum laboravimus, nihil aliud inde assecuti quam spem quam habuimus fore ut si quis, aut nobis sagacior, aut felicior, sacrum hoc disciplinæ veteris monumentum aliquando detegeret, illud ad publicam utilitatem non moraretur sudicis id ardentem cupientibus exhibere.

Porro prædictis Hildeberti operibus viri plerique eruditi stimulum subjecerunt, ut illis Marbodi Redonensis episcopi, et Hildeberti supparis et amici opuscula subnecteremus. Cum enim ipsorum tanta esset raritas, ut vix ac ne vix quidem ex intractioribus Galliæ bibliothecis unicum exemplar, e celebri scilicet collegii Mazarinæi bibliotheca, nanciaci potuerimus, illudque Redonis excusum anno 1524, antiquo caractere, quod nunc obsoletum, lectoris oculos nitidioribus assuetuos characteribus non nisi posset offendere, nobis persuaserunt studiosi imprimis homines, ut ad detegenda quæ nunquam apparuerant, et ad vetera ipsa majori nitore donanda, nostram conferremus operam. Quorum votis obsecuti, illud Mazarinæum exemplar, nobis a doctissimo D. Colau, illius collegii Bibliothecario, benigne concessum discussimus, et ea quæ continebat ad eos, quos non nisi paucos invenimus, mescontulimus; quædam alibi passim sparsa collegimus, et nova etiam nonnulla deteximus quæ nusquam, quod sciamus, edita fuerunt, de quibus fusius disserere in præfatione ad ipsa Marbodi opuscula distulimus.

Omnibus autem illis tam venerabilis Hildeberti operibus, quam Marbodi opusculis, ubi necesse visum est, et quantum e variis sæculi illius historiis et eventibus, aut etiam probabilioribus conjecturis nobis assequi datum est, nostras notas adjecimus, quas, sed præsertim ad Hildeberti epistolas libentissime disentiendas, subjecimus amicissimo nobis et eruditissimo nostro R. P. D. Renato Massuet e nostra Sancti Mauri congregatione, sacræ theologiæ jamdiu emerito professori, e cujus eruditione non parum nos profecisse ingenue prostemur. Nec enim

ii sumus qui nostro sensui pertinacius adhærere, præsumamus. Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis, non erubescimus, ut hic noster Hildebertus ad Honorium II papam de se modeste scribebat (14): *Non erubescimus, inquam, nostram attendere vel profiteri mensuram.* Illum igitur libentissime imitabimur, qui quamvis inter ævi sui litteratos celeberrimus, scripta sua omnia, ut ex plurimis illorum locis probari potest, peritorum amicorum judicio humillime semper et modestissime discutienda subjecit. Ita nos longo potiori jure nostra quælibet, tenuitatis propriæ conscii, benevolis et peritis amicis obtulimus examinanda et corrigenda. *Veniam* interim, cum Hildeberto nostro in prologo ad *Vitam S. Hugonis*, *confitebimur postulandum, quod amplioris litteraturæ viros* in ejus evulgandis operibus *ausi simus prævenire.* Quam quidem non denegandam confidimus capulari prope seni, quid quod illi sub ultima vitæ periodo concessum est a suis superioribus otii, ita conatus est impendere, ut ad plurimum eruditorum vota, et ad nonnullam fidelium utilitatem et ædificationem, piissimi æque ac eruditissimi præsulis lucubrationum detectione et publicatione conferre posset. Quique si quid minus scite, minus exacte, vel etiam, quod absit! minus catholice imprudens protulerit, totum illud non solum suæ matris Ecclesiæ catholice ac Romanæ judicio paratus emendare subjecit, sed etiam cujuslibet eruditi catholici, cujus iterum cum Hildeberto suo *correctionem*, ut ipse ait, *pro munere suscipiet; proba sciens quod officiosa res esse debet, et prudenti scriptori grata, non invidentium et quaquaversum mordacium censura criticorum, sed fidelium et peritorum amicorum benevola correctio.*

Monendum autem hic lectorem putamus, ne quando ad Hildeberti Scripturæ sacræ citationes hæreat, ipsum sæpe sæpius illius verba citasse, non secundum Vulgatam, sed secundum versionem septuaginta Interpretum, quæ nonnullo, ejus ævo, erat in usu, sed ut plurimum ad eundem sensum, de quo plura specimina potuissemus afferre. Secundo, nos interdum, sed rarissime, aliqua verba ad faciliorem intelligentiam addidisse vel mutasse, sed non nisi ubi sensus nos aperte induxit ut crederemus illa ab oscitantibus amanuensibus casu omissa vel mutata fuisse. Ubi autem nos id facere contigit, quod raro admodum, addita vel mutata inter binos uncinos [] inclusimus, ne temeritatis argueremur, si nostra pro ipsiusmet auctoris verba adderemus. Tertio, cum dictionem aliquam auctoris, sensui, ut putavimus, repugnantem invenimus, illam in ipso textu mutare non ausi sumus, sed inter uncinos in textu, vel inter notas cum littera *f.* id est *forte*, ut putavimus, aptiorem substituimus, absque lectoris melius opinantis præjudicio. Postremo observabit lector nos nomen Hildeberti expressisse cum lit-

(14) Epist. 41 lib. II.

tera B, ad id moti pluralitate mss., qui pene omnes A Gaufridum Vindocinensem, et quibusdam mss. se illam præsigunt litteræ I, licet compendii gratia illam longe paucioribus, omisissemus. libentius cum doctissimo Sirmundo in notis ad

Syllabus manuscriptorum codicum quibus ad editionem et recensioem Operum Ven. Hildeberti, primo Cenom. episc., deinde Turon. archiepisc. et Marbodi episc. Redon. usi sumus, et quos ad caput cujusque operis designavimus.

Regii quatuor, scilicet 4080, 4103, 4105; Elnonensis Regius 274; Colbertini decem, sc. 1168, 1050, 1367, 2131, 2662, 3019, 4017, 5133, 6101, 6317. Ebroicensis Perronianus unus, Remigianus unus; S. Victoris Parisiensis quatuor, sc. 272, 292, 905, 468; Claromontanus unus, 41; Sangermanenses tres, 425, 381, 383; S. Audoeni Rothom. unus, S. Albini Andegivensis unus; insignis cathed. Bellovacensis unus; S. Radegundis Picaviensis collegiatae duo; insignis cathed. S. Galiani Turon. unus; Majoris Monasterii duo, sc. 103 et 121; S. Mariani Altissiodorensis unus; Gemneticenses duo, 77 et 93; Becenses duo, 98, 197; cl. D. du Poirier, doct. medici Turon. unus; cl. D. Loyauté duo, quorum alter fuisse notatur ecclesiam Grandimontensis; Lyranus unus; Ulicensis S. Ebrulphi unus.

Omnes manuscripti numero quadraginta duo, quorum recentiores pauci quadringentorum ad minus annorum, cæteri longe plures Hildeberto et Marbodo aut cœvi, aut pene cœvi.

VEN. HILDEBERTI

PRIMO CENOMANENSIS EPISCOPI, DEINDE TURONENSIS ARCHIEPISCOPI,

VITA

Ex ejus scriptis et veterum monumentis adornata.

Hildebertus pater etiam mediocri fortunæ parentibus in castro Lavarziensi, seu Laverdini, ad Montem aureum, in agro Vindocino natus est anno 1057, non autem 1054, ut quidam opinantur. Cum enim uno calculo omnes ipsum ad sedem Cenomanensem anno 1097 cooptatum statuunt, Gesta vero Cenomanensium episcoporum tunc quadragesimum ætatis annum nondum exegisse testificentur, retro ducta supputatione, anno 1057 natus sit oportet (15).

A puero disciplinis bonisque artibus institutum tradunt: humanioribus vero litteris apprime, ut illo ævo, operam dedisse nemo inficiat, qui ejus opera prosa metrove scripta legerit. Magistro usus est præsertim Berengario, tunc eruditionis laude insigni; quo præceptore, si quid leporis, salis aut facundiæ sit assecutus, accepisse se gloriatur. Nec incautus, ut puerilis ætas solet, magistri errorem hausit; nihil quippe ex pestifera ejus circa sacram Eucharistiam doctrina mutuatus, intemeratam sanamque in scriptis suis de tanto mysterio præfert sententiam (16). Sed in doctorem tamen suum non ingratus, ubi de sincera ejus, etsi sera poenitentia, certior factus est, epicœdium illi cecinit, virumque laudibus exornavit ultra forte quam satis erat.

Primos adolescentiæ annos sic emensus, ad sacrarum litterarum studia se contulit. Tunc fertur ad sacrum Cluniacense cœnobium, quod sancto Hugone abbate disciplinarum omnium laude florebat, accessisse. Monasticum vero statum amplexum fuisse narrant scriptores quidam non ignobiles, negant alii. Nos autem utrorumque testimonia sic afferemus, ut ne ad alterutram partem plus æquo perpendere videamur.

Andreas Quercetanus, antiquitatum sagacissimus indagator, notis in *Vitam S. Hugonis*, pag. 83: « Hildebertus, inquit, monachus primo Cluniacense, ejusdemque sancti Hugonis discipulus. » Eidem sententiæ adstipulantur *Gallie Christiane* auctores Saomarthani fratres, ubi de Cenomanensibus episcopis. Recentiores alios nullius, utpote qui reminus forte ponderata, priorum sententiam amplexi videantur. Sed quod gravius hac in parte testimonium affertur, est *Chronici Cluniacensis*, jussu D. Jacobi de Ambasia, qui anno 1485 Cluniacense abbas erat, a D. Francisco de Rivo tunc Cluniacensi magno priore concinnati. Hoc autem Chronicon habetur in bibliotheca Cluniacensi edita an. 1614. Ibi vero sic legitur: « Hildebertus fuit discipulus et monachus sancti Hugonis, qui tandem promotus fuit ad dignitatem episcopalem Cenomanensis Ecclesie, et consequenter translatus ad Ecclesiam archiepiscopalem Turonensem. Iste fuit vir illustris et doctissimus, specialiter in versibus scribendis, qui et ipse descripsit luculenter vitam præfati sancti Hugonis domini sui et abbatis. » Cum autem hoc chronicon concinnatum ex vestustioribus, ut æstimare licet, monumentis fuerit, quæ iteratis monasterii Cluniacensis conflagrationibus, et illatis ei ab heterodoxis devastationibus, adeoque ipsius bibliothecæ expilationibus exciderunt, hinc certe gravissima omnium de Hildeberti monachatu conjectura duoi posse videtur. His adjicias Hildeberti studium in sanctum Benedictum, cujus Regulam, ita familiarem habuit, ut persæpe clausulas integras quasi e re nata interserat orationi; in Benedictinos, præcipue vero Cluniacenses, quos ut fratres sodalesque suos plerumque compellat; in abbates,

(15) Mabillon., *Gesta Cenomanensium episcoporum*, *Annot.* tom. III.

(16) Hoc patet ex ejus eruditissimo tractatu *De*

sacra Eucharistia, ex ejus *Explicatione missæ*, e poemate *De sacrificio missæ*, et altero *De sacra Eucharistia*, ex ejus sermonibus et aliis passim.